

Edicti sunt: Et quant aux vrais Pelerins, Passans en es par nosdits Pays, ils se pourront loger & herberger es Hoptaux à ce ordonnez une mye seulement: en ayant en chascune fois certification & enseignement de l'Officier du Lieu ou ils seront partis pour faire leurditz pelerinage contenant tesmoignage de leur vie & regimo, & la cause pourquoy i s font lesdits Pelerinages: Et ne pourront nuls d'euls estre logez en aucunes Hostelleries. Id est. Et quoad eos qui verè peregrini sunt, iter per regiones nostras facientes, una dumtaxat nocte in domibus hospitalibus ad id constitutis commorari poterunt, modo habeant in singulas vices testimonium & indicium Præfecti locorum unde profecti sunt ut peregrinationem suscipere, quo vitæ & morum testificationem, & causæ itineris suscepti exhibebunt, nec poterit aliquis eorum in diverso ullo, hospicio excipi.

Supra citata Ordinatio Philippi Boni art. 29. similibus personis itinerantibus & peregrinis in pagis quidem non nisi una nocte; sed in civitatibus duabus noctibus & una die morari permittit; hac tamen conditione, quod semper recto itinere ad locum destinatum suæ peregrinationis procedant.

XV. Jodocus Damhouderus famosissimus Jurisconsultus in sua praxi criminali cap. 112. reflectens ad Principum nostrorum de coercendis validis Mendicantibus Edicta, deplorat "multorum Judicum inertiam, quæ quolibet & ubilibet locorum mendicare permittit, qui elemosynis non egent, sed otium dumtaxat, sectantur & voluptates, & ubicumque pulchram interim occasionem nanciscuntur, ubi ne à maleficiis, quidem temperant, quorum maleficiorum causam præbent Officiariis supina inertia, & corripientium pauperum pertinax tadium.

Dein subjicit: "Optatem hic nostram Christianorum pietatem æquiparari posse Turcis & Ethnicis, apud quos nulli fas est ita mendicare ostiatim, sed unaquæque civitas suos alit pauperes, & verè pauperes; otiosos autem cogunt ad labores.

XVI. In præcitate Edicto de 7. Octob. 1531. art. 10. cautum fuit, ut nemo quomodocumque, siue publicè siue occultè sub quocumque prætextu mendicet sub pœna jejunii in pane & aqua, ac deinde correctionis arbitriaræ, exceptis Religiosis, Mendicantibus & Leprosis; ita tamen ut signis suis consuetis discernantur. Verba Edicti sunt: *Das niemant, het zy mans oft vrouwen, hemlieden en voorderen van nu voortaan te bidden, oft aelmoessen te begheren, by daghe ofte by nachte, heymelick nochte openbaer, ob de straten, in de Kercken, nocht in oft voor die husen van den goeden lieden, in wat manieren dat het zy: op de peyne in dien jemand die contrarie dede voor deerste reyse ghevanghen te worden, ende gestelt tot water ende broode, tot discretie van onsen officieren rechteren ende vrechtvaarders, oft andere personen de last hebben zullen van deser onser ordonnantie, in der plecken duer selve ghebuieren zande: voor de tweede reyse, van gestraft ende gecorrigiert te worden ter discretie als voren. Vygenomen ende hier af ghereferveert den religiousen mendicanten, de ghevangenen ende lazarusen ende melassechen, de welcke om aelmoessen zullen moghen bidden zo zy ghevoenlick zyn, hebbende de voorsede lazarusen haere hoen, handschoenen, mantels ende andere tekenen zo dat behoort.* Id est. Ut nemo seu vir seu femina medicare audeat aut stipè corrudere, diu aut noctu, clam aut palam, in plateis, in domibus aut præforibus honestorum hominum, aut quocumque modo: edicta primò in delinquentes incarcerationis pœna, & ut pane & aqua marentur ad arbitrium admistrorum Judicum & Præfectorum nostrorum, aut aliorum quibus incumbet cura Edicti hujus nostri observandi, in locis ubi simile quid contigerit. Iteratum delictum ad arbitrium ut supra punietur & corrigetur. Hinc tamen exceptis Religiosis

mendicantibus captivis, leprosis & Elephantiacis quibus licitum erit elemosynam ut consueverunt rogare, dictis leprosis pileo, manicis, pallio, aliisque notis, ut oportet, discretis.

XVII. Præcipitur quoque parentibus, ut pueros suos à mendicantibus cohabeant sub pœna quod virgis corrigentur & arbitrio Magistratum.

Dein ut in singulis locis, unus pluresve à Magistratu satellites constituantur, qui transgressores apprehendant.

XVIII. Sanè attentis incommodis quæ mendicitas, tam ipsis Mendicis, quàm Reipublicæ adferre solet, non dubium, quin optandum esset, ut hic articulus Edicti servaretur, laudatque non immeritò Zypæus in suo *Judice lib. 3. cap. 10. n. 4.* Confæderatarum Provinciarum civitates, & præsertim Amsterodamensem, quæ non patiuntur aliquem publicè mendicare, sed debilibus & infirmis necessarias elemosynas procurant, validos in loca publica cogunt, quorum præfecti singulis pensa præscribunt pro artis suæ peritiâ, quam si nullam norint, alia imperant, quæ nullo vel levi artificio expediuntur; victum interim & amicum præbent: & si frugis bonæ apparuerint, etiam lucellum.

XIX. Subjungit dein Zypæus memorabile factum Alostensium, quod utinam plures civitates sæpius imitarentur, non dubium quin à se validos & vagabundos mendicantes, non secus ac Alostenses penitus abigerent, Nuper (ait Zypæus) Alostenses omnes undique ad venas validos mendicantes fossis, quæ urbem cingunt, purgandis devoverunt, atque ita opus publicum minimo sumptu perferunt vitia otiosorum minuerunt, quin imò id obtinuerunt, ut brevi eum locum mendicantes ut charibdim vitarent, & aliò declinarent, ubi eos labor improbus non vexaret.

XX. Carolus V. ut Edictum suum executioni mandare posset; nec tamen veris pauperibus in validis & infirmis sua deessent necessaria, multa de procurandis pauperum subsidiis eodem Edicto disposuit; atque inter alia, ut omnium elemosynarum, mensarum S. Spiritus, & similibus charitativarum largitionum esset communio, fieretque una bursa, & judicio Curatorum & Præfectorum, eorum, qui à Magistratibus deputarentur, fieret distributio. Verba articuli 15. sunt: *Ende om te subvenieren den armen zeecken ende andere niet machigh vvesende haer broode te winnen, noch anders hebbende om op te levende die bevonden sullen voordere vvoende in elke stad ofte dorp in onsen landen: ordineren wy dat van allen charitaten, tafel van husen armen, Gast-huyzen, Broerschappen ende andere hebbende obynen de distributien van provienen ende aelmoessen, ghemaecke zal voordere van den voorschreven tafelen vanden armen; van den Gast-huyzen ende Broederschappen, metsgaders van den ghenen die de Officieren ende Wetvaarders in elke stad, parochie ofte dorp zullen wvillen deputeren ende committeren tot voordereinghe vander charitate, inder manieren hier na verolavert. Behandelicken dat de aelmoessen ghemedeeren ghedistribueers zullen voordere, na die ordonnantien vanden Fondaseuren.* Id est. Et ut succurratur inopibus ægrotis, nec victum lucrari Valentibus, nec alunde medijs ad vitæ sustentationem provisio, quos vel Civitatum vel Pagorum ditiorum nostrarum incolas esse constabat. Mandamus ut omnes elemosynæ, Mensarum S. Spiritus, domorum, Hospitalium, Confraternitatum, aliarumque in die obitus anniversaria quapiam distributiones, largitiones & elemosynæ in commune conferantur, ut exinde pauperibus distribuantur de consilio Magistrorum & Præfectorum dictarum Mensarum S. Spiritus, domuum, Hospitalium & Confraternitatum, simul-

simulque eorum quos Administris & Magistratibus in singulis Civitatibus, Parochiis aut Pagis deputare & demandare visum fuerit in progressum elemosynarum juxta modum infra expressum, Salvo tamen Elemosynas fundatas pro Ecclesiasticis, quales Mendicantes aliique, distributum in secundum statutum Fundatorum.

XXI. Verùm cum hæc omnium elemosynarum communio ad effectum deduci non posset, tum ob difficultates quas ipsa communio in rebus humanis generare solet; tum ob contrariam Fundatorum voluntatem, qui particulare sibi in fundationibus suis fines præfixerat & expresserat; etiam Edictum quoad hunc articulum omnimodam suam executionem non habuit, uti insinuat Zypæus in Notitia Juris Belgici tit. *De Episcopis & Clericis n. 23.*

XXII. Videmus in recentioribus tam ipsius Caroli, quam Successorum Principum aliquam fuisse factam moderationem quoad pauperes invalidos & infirmos, relicta iis mendicandi licentia, his tamen conditionibus, ut iis observandi quæ ex mendicantibus sequuntur incommoda, evitarentur.

In primis itaque Edicto de 27. Nov. 1585. extante parte 2. Edicti Flandriæ lib. 1. Rubrica 3. permittitur veteri pauperibus, qui labore manuum victum sibi & familiæ suæ lucrari nequeant; tametsi omni modo se impendant, elemosynas mendicatio petere; quod idem in pluribus aliis Edictis exprimitur.

XXIII. Sed Edictum illud requirit, ut de hac paupertate & impotentia sufficientem probationem fecerint, priusquam mendicare permittantur; quod ipsum requirit Edictum Alberti & Isabellæ de 28. Sept. 1617. art. 4. Quin allegata Ordinatio Philippi Boni art. 26. vult, ut nullus qui excesserit 12. annum, vel non excesserit 60. annum mendicare possit ab'que signo appenso in collo, quod in loco ubi mendicare intendit statutum fuerit; quodque à Magistris Mensæ S. Spiritus acciperint.

XXIV. Secundò hujusmodi pauperes mendicare nequeant, nisi in locis originis, aut ubi ultimò suam habuerunt residentiam; ita ut extra illa loca & loca vicina (in quibus elemosynæ erogari solent) mendicare nequeant. Verba sunt: *Zullen de Aelmoessen mogen gaen bidden ter plaets daer sy geboren sijn, oft daer sy het laatste jaer te vooren heurlieder continuele residentie ghehand hebben, zonder buyte de selve oft de plaets daer ontrent (daermen gevoenlick is aelmoessen te halen) te mogen bedelen.* Id est. Poterunt Elemosynam corrogare in loco suo natali aut in quo anno proximè tum elapsò continuè fuerint commorati, ita ut extra illa aut vicina loca (in quibus Elemosynæ erogari solent) mendicare iis non liceat Ita Edictum de 15. Junii 1556. & penè iisdem verbis repetitur in Edictis de 8. Julii 1599 & 28. Sept. 1617.

XXV. Hic articulus consonat iis quæ jam pridem Canonibus sanctissimè decreta leguntur: "Unaquæque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vites, & tam vicani Presbyteri, quàm cives unusquisque suum pauperem pascant, quo fiet, ut ipsi pauperes per alias civitates non vagentur. "Hæc Concilium Turonense II. anno 567. Can. 5.

XXVI. Et lib. 1. Capitularium Regum Francorum, cap. 118. decernitur: "De Mendicis qui per patrias discurrunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriet, & non permittat alicubi ire mendicando.

XXVII. Profectò si hæc Decreta observarentur; neque vagantes de uno in alium locum mendici admitterentur, sed omnes intra limites suarum respectivè Parochiarum terminos se continere juberentur, tunc illi

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

lorum exactior haberetur notitia; possetque esse Parochorum major circa similes pauperes cura; qui hodie passim Parochiis planè ignori, nullaque instructiones frequentantes, sed de uno ad alium locum vagantes, in Mysteriis Religionis manent omninò ignari; & hinc sine ullo penè Religionis sensu gentiliter in omni ferè vitiorum genere viventes.

XXVIII. Hic meritò notandum quod decrevit S. Carolus in suo Concilio Mediol. IV. parte 3. tit. *Que ad pia loca pertinet*, ut ubi mendicorum cura & victui necessario ita consultum non est, ut certo quodam pio loco collecti, non mendicantem victum sibi quærissent, curent Episcopi ut per Parochos illi qui intra fines suarum Parochiarum sunt, in libro accuratè ordineque scribantur; atque hæc circa illos à Parochis observentur: "Quo & unde illi migrent. Quod vitæ christianæ institutum teneant An fidei rudimenta norint: An diebus festis, saltem Missæ sacrificio intersint An sæpè confessi crebro etiam per annum, aut saltè constituto Paschæ tempore sacram Eucharistiam sumant.

Denique addit: "Quos doctrinæ Christianæ rudes mendicos vagantes viderint, festis diebus stata hora, ad ejusdem doctrinæ scholas convenire diligenter curant, eisdemque instruant. "Adde quæ supra parte 1. tit. 3. cap. 4. n. 5. dicta sunt.

XXIX. Ut ad Edicta Principum nostrorum revertamur, præcipitur in Edicto de 15. Junii art. II. ne pauperes ad dedicationes Ecclesiarum, nuptias, aliasque similes solemnitates ut lautius tractentur, accedere audeant: *Oft hemlieden in Bruyloften, Eerste Messen, Kermissen, Schutteryen oft andere Feesten te vinden, om ghebeden te voordere nae heuren appetyte, als sy rot noch toeveel gedaen hebben.* Id est. Ne vel ad nuptias, Primitias, Encœnia, jaculationes aut alias solemnitates conveniant; ut secundum gustus sui appetentiam excipiantur, prout huc usque hæcenus fecerunt. Idem decernitur in Edictis de 8. Julii 1599 & de 28. Sept. 1617.

Eisdem illis Edictis cavetur, ut pauperes illi mendicarent contenti elemosynis quæ ipsis voluntariè dabuntur, absque murmuracione aut asperitate sub correctio-
ne arbitraria. *Zullen oock in heuren plaetsen om aelmoessen te bidden hemlieden laeten ghenoughen, met gheue dat die goedelieden hemlieden geven zullen: sonder die selve, met voor dem ofte met vercken eenighe styfcheyt, stuericheyt oft verdriet aen te doen, op peyne van arbitraerlicken daer van gecorrigiert te worden.* Id est. Deindè in statione sua stipem mendicantes acquiescent iis contenti quæ ipsi boni homines erogabunt, sic ut nec verbo aut factò, arrogancia aut morositate iisdem incommodo sint; arbitrariæ correctionis pœna constituta.

XXX. Scitur quantum sæpe celebrationem divinarum Officiorum, quantumque Fidelium devotionem turbet mendicorum per templa discursus; ut meritò gravibus pœnis inhibeatur in allegata Ordinatione Philippi Boni art. 3. ne ullus in Ecclesiis mendicare audeat; quodque Ecclesiarum Editu aliivè ad hoc Deputati hujusmodi Mendicantes in Ecclesiis Magistratui denunciare debeant.

XXXI. Deinde in præcitate Edictis declaratur, quod si in loco originis aut ultimæ residentie hujusmodi pauperum esset, aliquod particulare statutum quo ipsis inhiberetur esset mendicare, aut determinatus locus, vel determinatum tempus mendicitiæ præfixum, tenebantur se huic omnimodò conformare. *Indien nocht anders plaetsen van heurlieder gheboorte oft laatste residentie als vooren eenighe statuten oft regel ghesedt waere oft bidden van den aelmoessen daer by hemlieden verboden waere te bidden, ofte zeker plaets oft rydt daertoe ghestelt waere, sullen ghehandeln hemlieden daer naer in alles te reguleren.* Id est. Si tamen in loco originis aut ultimæ commorationis ut supra, statuta quædam aut

Ffff regula

regula foret præfixa circa elemosynarum cotrogationem, quibus ipsi inhiheretur mendicare, aut locus determinatus & tempus limitaretur, tenebantur his omnibus se conformare.

XXXII. Refert Egidius Wyrfus Jurisconsultus Brugensis in suo Consilio De commendis & alendis domibus pauperibus, & in ordinem redigendis validis mendicantibus in proemio. "Ante annos triginta (id est circa annum 1540.) Valedoleti in Hispania, & in Flandria, Hypris & haud ita pridem apud nos (Brugenses) re-

peritus est modus quidam, quo optimè videtur con- sultum pauperibus. Cautum est, ut suos civitas paupe- res alat, ut que per publicam curam & idoneos dispen- satores eis provideatur; prohibita vaga & promiscua illa ostiatis stipem emendicandi licentia.

XXXIII. Decreti hujus æquitate, justitiam & utili- tatem multis ostendit hoc Consilium atque à crimina- tionibus & objectionibus doctissime vindicat. Dignum sane opusculum quod Magistratum manibus teratur, quibus cura incumbit, veris pauperibus providendi, & fictos ac validos mendicantes coercendi & in ordinem redigendique ex illo dicerent optimum modum mi- seris & infirmis pauperibus succurrendi, & republi- cam à pernicioso & otioso hominum genere expurgadi.

XXXIV. Non tantum attendendum est Reçtori- bus hospitalium, qui ad illa recipiantur; sed insuper ut omnia in illis honestè & Christianè agantur.

Ut honestas in hospitalibus, piii que diversoribus, ubi hospitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam præ- textu Matrimonii versari ne permittantur. Ita Syno- dus P. II Cameracensis 111. l. c. cap. 14. Idipsum cavit S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi I. tit. De Piorum locorum administratione.

XXXV. Hæc personarum utriusque sexus separatio non tantum in hospitalibus & piis diversoriis ad quæ grandiores & ætate provectiores divertunt, observanda est, sed & in Orphanotrophis & Brephotrophis in qui- bus pueri orphani, & infantes expositi aluntur & edu- cantur. Nimis notum est, quam periculosa sit etiam pue- rorum utriusque sexus familiaris inter se conversatio; ut proinde & hic summa Magistrorum cura esse debeat, ne aliis in ipsis locis piis, & ex Fidelium pietate ad pue- rorum piam educationem institutis, ipsa juvenilis & tenera ætas corrumpatur, & vitiorum femina eorum animis inferantur.

XXXVI. Etenim quam periculosa res sit, etiam pue- rorum utriusque sexus aut cum ancillis in eodem lecto dormitio, notum est; & jam pridem monuit Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis vir pietate juxta ac sollicito salu- is proximi desiderio illustris, in tractatu De arte sive scientia audiendi Confessiones, in quo propo- nit per varias considerationes, quâ methodo Confella- rius interrogare debeat penitentem super peccato car- nis, & consideratione 9. quomodo interrogandi pueri, & primò quidem tumquam in ætate quinque, sex, septem annorum vel eo circa jacuerint cum ancillis, sicut mos est puerorum. Et certè (ait) reperientur hur- rida.

Similiter S. Franciscus Salesius lib. I. Epist. 5. scribit: Interea cave, non solum illi, verum & fororibus ejus, ne dormiant, nisi solis, aut cum illis, quibus possis tan- tum meritò confidere, quantum tibi ipsi. Incredibile est, quam utile sit hoc consilium, experientia mihi commendandum in dies singulos reddit.

XXXVII. Quapropter & illud sollicitè providen- dum ut his puerorum receptaculis præficiantur pii & morigeri Reçtores & Reçtrices; quemadmodum supra tit. I. cap. 5. dictum est de Scholarum magistris; nimis enim notum est, quam perniciosum sit, Magistros aut Magistras corruptos, præsertim in materia carnis, pue- ris esse præfectos.

XXXVIII. Cum circa educationem puerorum or- phanorum & expositorum ea cura habenda sit, ut ex- acta pueritia agere valeant vitam homine Christiano & honesto civè dignam; neque ad fordidam & malo- rum multorum letinam mendicitatem declinare cogan- tur, omnino solliciti esse debent hujusmodi locorum ad- ministratores & reçtores, ut "infantes, ubi primum per ætatem licuerit, locis iis, quibus commodè & per fa- cultates fieri poterit, moribus optimis artibusque, quæ sexum deceant, tam mares, quam fœminæ instruantur, donec eis Deo dante provisum fuerit, uti loquitur Concilium Tholoanum anno 1590. parte 3. cap. 6. nu. 17.

XXXIX. Verbo administratores & Reçtores pue- rum locorum ita in ea administratione versari debent, ut ex æconomia ac disciplina illorum patescat, se totos pauperibus, & quoad corporalia & quoad spiritalia impendi.

CAPUT VI.

De Confraternitatibus.

1. Confraternitates piis locis annumeranda.
2. Etiam apud Gentiles nota fuerunt.
3. In Ecclesia à multis seculis notissima fuerunt.
4. Geldonia sive Guldæ species Confraternitatum.
5. Confraternitates quæ hodie Guldæ dicuntur, instituta ad exercitium militare.
6. Adhuc hodie retinent exercitia, & signa militaria.
7. Multis gaudent privilegiis, & quare?
8. De his Confraternitatibus loqui videtur S. Anselmus.
9. Similiter & Concilium apud Montem pessulanum seculo 13.
10. Similes Confraternitates sine auctoritate Regia hodie institui negantur.
11. Hæ Confraternitates non veniunt nomine piorum locorum.
12. Confraternitates quadam sunt laicorum.
13. Nonnullæ in Ecclesiis Parochialibus & Regularibus habent Altare vel Sacellum; aliæ habent Sacella se- parata.
14. Confraternitates merè Ecclesiastica.
15. Confraternitates instituta ad exercitium operum pie- tatis.
16. Etiam ut mutuis precibus juvantur Confratres.
17. Variâ sunt opera pietatis pro varietate Confraterni- tatum.
18. Pro instructione puerorum Confraternitates institui voluit Pius V.
19. Eas in sua Provincia promovit S. Carolus.
20. Instituit & S. Carolus Confraternitatem ad sedandas discordias.
21. Plurima Confraternitates instituta sub titulo Divæ Virginis alteriusve ÷ Divis.
22. Confraternitates erigi non possunt sine licentia Epis- copii.
23. Clemens VIII. declaravit Confraternitatem erigi non posse prætextu cuiuscumque privilegii sine li- centia Episcopi.
24. Confraternitatum statuta approbationi & correctio- ni Ordinariorum subjecta.
25. Episcopus que in admittance & approbatione Confra- ternitatis attendere debet?
26. Non convenit ut observatio Regularum juretur.
27. Exercitia Confraternitatum ita disponi debent, ut publicis Ecclesiarum Parochialium officis non ob- stent.

28. Vult S. Carolus ut Divina officia Confraternitatum fiant ante vel post officia Ecclesiarum Parochialium.

29. Referuntur plurium Conciliorum Decreta confir- ma.

30. Episcopi Confraternitatibus invigilare debent.

31. Fus eas visitandi Episcopi attribuit Synodus Triden- tina: etiam si sint laicorum.

32. Etiam dam sunt in Ecclesiis Regularium ex Decla- ratione Cardinalium.

33. Idipsum supposit S. Carolus.

34. Attendere debent Episcopi visitando abusum com- mellationum, qui in Confraternitates jam pridem irrepsit.

35. Merito designatur aliquis qui Confraternitatibus in- vigilet.

36. Jam pridem irreperunt sub specie pietatis questus il- liciti & audacia peccandi.

37. Etiam hodie Confraternitates hisce subjecte sunt.

38. In quibusdam libellis Confraternitatum occurrentia inducere nata sunt in abominandam superstitionem de qua Synodus Cameracensis.

39. Synodum respexisse ad vanam ac superstitiosam vulgi fiduciam in cultu S. Barbare ostenditur ex illis qua de hac Sancta referuntur.

40. Quæ in libellis Confraternitatum de hac Sancta di- cuntur nata sunt inducere in hanc superstitionem.

41. In aliarum Confraternitatum libellis occurrunt & plurima quæ huic superstitioni occasionem dare pos- sunt.

42. Certo numero Missarum vel precum certam è purga- torio liberationem promittere vana est superstitio.

43. Plures sunt Confraternitatum libelli, qui exorbitan- tes continent indulgentias, quibus fidem non esse ad- hibendam populus moneri debet.

44. In quibusdam libellis promittitur absolutio genera- lis, cujus formula proponitur.

45. Hæc nata est populo ingerere presumptuosam fide- ciam.

46. Apparet hæc formula ab aliquo privata auctoritate confecta, & qua occasione.

I. Ocis piis annumerari solent Con- fraternitates; quæ dicuntur sode- litia quædam hominum religionis causa in unam Societatem sive quamdam Fraternitatem coeun- tum; & quodam spiritali confra- ternitatis fœdere colligatorum.

II. Horum sodalitorum etiam apud Gentiles usum fuisse non obscure innuit Jurisconsultus in L. 1. ff. De Collegiis illicitis, ubi scribit: "Sed Religiosus causa coire non prohibentur, tum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsultum.

Religionis enim causa coire, aliud non est, nisi reli- gionis causa collegium habere, ut notat Dionysius Go- thofredus ad hanc legem nota 8. monetque hujusmodi collegia fuisse Gentilium & exteriorum.

III. Sed quidquid sit de hujusmodi sodalitis aut collegiis Gentilium, certum est, à multis seculis in Eccle- sia Catholica similia sodalitia fuisse notissima.

Et quidem seculo nono de his sodalitiis tamquam notissimis; imò jam nonnullis abusibus conspurcatis lo- quitur Concilium Nannatense can. 15. Et sub idem tempus Hinemarus Remensis in Capitulis suis ad Pres- byteros cap. 16. agit de collectis, quas (ait) Geldonias vel confratrias vulgò vocant.

IV. Geldonias, quæ & Guldæ dictæ fuerunt, signifi- care Fraternitates, & Sodalitia observavit Du Cange in suo Glossario, verbo Gilda; creditque quod Gilda à verbo theutonico Gulde, idem sonet quod Gil- da.

V. Hoc notorium est, Guldæ, quæ hic in Belgio in omnibus penè civitatibus & pagis an antiquo institutæ fuerunt; & usque in hodiernum diem supersunt, esse quædam sodalitia sive Fraternitates hominum laico- rum in unum quasi collegium coeuntium, ut se in arte militari, exercent; & quasi collegium militare ad de- fensionem patriæ, aut civitatis, vel pagi semper paratum constituant.

VI. Unde etiamnum hodie horum collegiorum vel sodalitorum primarium exercitium est, occupari circa illa quæ olim militibus ad defensionem patriæ propria erant.

Habent & propterea suos Capitaneos aliosque Offi- ciales quos cohortes militares habere consueverunt, Similiter & tympana, vexilla aliæque familia militaria insignia & instrumenta retinent.

VII. Et quia in defensionem & custodiam, ac præ- fertim ad cohibendos populares tumultus, institutæ sunt, etiam pluribus specialibus privilegiis hujusmodi Guldarum sodales ex principum, vel etiam ipsarum Ci- vitatum munificentia gaudere consueverunt.

VIII. De his Confratriis verisimiliter loquitur, S. Anselmus lib. 2. epist. 7. "De Domino "Henrico qui Ca- merarius fuit, audio quia in multis inordinatè se agit, & maximè in bibendo: ita ut in Gildis cum ebriosis bibat, & cum eis inebrietur. Ex Dei & Sanctorum ejus, & nostra auctoritate prohibeo ne postquam hanc nostram prohibitionem cognoverit, amplius in gilda, aut in conventu eorum qui ad inebriandum solum conveniunt, bibere audeat.

Quod hic insinuat S. Anselmus in Gildis, sive Guldis potationes frequentari, & ad bibendum conveniri, uti- nam cum ætate S. Anselmi transiisset, neque ad nostra tempora descendisset abusus.

IX. De his quoque Confratriis loqui videtur Syno- dus apud Montem pessulanum cui unà cum Petro Be- neventano Legato Apostolico interfuerunt quinque Archiepiscopi, decerniturque Can. 45. "Quia propter conjurationes & conspirationes quæ confratria vo- cantur in civitatibus, villis, & castris, quandoque mul- ta discordiæ materia suscitatur: præsens Synodus sub anathematis interminatione constituit, ut in civitati- bus, villis, & castris, non fiant de cætero confratriæ, nisi de voluntate dominorum locorum ipsorum, & D. œcelani Episcopi propter urgentem necessitatem, & evidentem utilitatem id fiat.

X. Quod hic decernitur, ne hujusmodi Confratriæ fiant nisi de voluntate Dominorum locorum hic & in Gal- lia eatenus obtinet, quod Confratriæ præsertim hæc, ut potè omninò laicales, quas Guldæ vocamus, erigi ne- queant sine consensu Magistratus Regi, ut passim tra- dunt Pragmaticæ ac notanter Automnus ad L. 15. Cod. De Episcopis & Clericis, & Rhenus Choppinus lib. 3. de Dominio Gallico lib. 3. cap. 27. num. 24. aitque, quod licet forsan in extetis Provinciis liceat Collegiis sta- tuta sibi condere, in Gallia tamen singula hæc Princi- pis unius auspiciis decernuntur & conceduntur, alio- quin irrita, illegitima, rescindenda. "Pluribus hæc Re- gia auctoritas circa institutionem Confraternitatum astruitur in probationibus Libertatum Ecclesiæ Galli- canæ cap. 27.

XI. Cum hæc confratria quæ Geldonia seu Gilda olim dictæ, & hodie Guldæ vocantur, sint omninò laicales & profanæ, sive personas eas constituentes & admini- strantes, sive finem institutionis spectemus, etiam prop- riè piis aut religiosis locis annumerari nequeunt: unde nec de his agere propositum est, sed dumtaxat de Con- fraternitatibus pietatis & religionis causa institutis; quæque & communiter Confraternitates dici consue- verunt.

XII. Hæ Confraternitates quædam sunt laicorum.